



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs IV. De actione conseruatiua corporis naturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

quam vero inde confici, quòd eductio actiua formæ substantialis, de quâ nobis sermo est, ab illius cum subiecto vnione sit indistincta. Ad secundum: sicut pereuntibus dispositionibus ad formam, perit forma, & è conuerso: & tamen non obstante hac naturali connexionem forma à dispositionibus distincta est, ita similiter in præsentia, &c. Ad tertium: actio eductiua formæ nec materiæ, nec formæ vnitur, aut intrinseca est, sed agenti vt supra ostendi: quare non est, cur eas vniant inter se: actionis autem eductiue distinctio à creatione, ab eius termino producto, non vero à subiecto intrinseco receptionis sumenda est, vt initio capitis insinuauimus: existere vero formam dependenter à materia siue in materia denominationis intrinseca formæ est: cæterum ea denominationis non provenit in genere causæ formalis, sed in genere causæ efficientis ab actione eductiua: vnde non est, cur hæc formæ intrinseca sit. Hinc ad vltimum respondeo: per actionem eductiuam forma non recipitur intrinsece in materia formaliter loquendo, sed duntaxat efficienter, eo quod actio eductiua producat vnionem, per quam forma intrinsece in materia recipitur. Quapropter inspectis omnibus eiusmodi actio non tam est vnio formæ cum materia, quam vnio, vt egregie docet Suarez vbi supra.



TRACTATUS IV.

De actione conseruatiua corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit conseruatio, & quatenus à prima creatione distinguatur?

CONSERVATIO est actio, quâ res in esse, quod primò naçta est, postea subsistit, in eoque perseverat, v.g. ea, quâ lux matutina à mane vsque ad meridiem, aut vesperam durat; aut infans ab inuente vita vsque ad obitum spirat; aut esse cuiusvis alterius effectus à suis causis protogatur: an autem hæc actio à prima rei productione distinguatur: inter Authores valde controuertitur. Prima sententia est Henrici quodlib. 1. quæstion. 7. & Gregor. in 2. dist. 1. quæst. 6. conclus. 4. & Aureoli apud Capreolum in 2. dist. 1. quæst. 2. art. 2. & aliorum docentium, rem produci, & conseruari per duas actiones, quarum altera statim præterit, altera vero cum esse rei permanet. Primum fundamentum, quo ducuntur, est: quasi actio primo productiua subito præterit; actio vero conseruatiua est permanens, & subito non præterit, vt iam tactum est: ergo actio primò productiua, & conseruatiua fortiuntur prædicata contradictoria, atque adeo altera ab altera adæquatè distinguitur. Secundum fundamentum est: quia sæpè cernimus, rem primò produci ab vna causa, & conseruari ab alia; vt cum calor ab igne primò producit, & à solo Deo in absentia ignis conseruatur: ergo prima productio rei, & eius conseruatio in eo euentu habent prædicata contradictoria, & altera causam aliquam respicit, quàm altera minimè

respicit; sicut ad denominationem realem adæquatam oportet: ergo etiam in reliquis euentis vna, & altera actio realiter adæquatè distinguuntur.

Reiicitur tamen prædicta sententia, primò: quia actio conseruatiua, & actio primò productiua habent aliquam identitatem realem: ergo realiter adæquatè non distinguuntur. Consequentia perspicua est: antecedens probatur ex Augustino lib. 4. de Genesi ad liter. cap. 12. ibi: *Cum Dominus ait, Pater meus usque modo operatur, continuationem quandam operis eius, qua vniuersam creaturam continet, & administrat, ostendit.* Quibus verbis particula *opus* cum operatione coincidit, vt constat ex iis, quæ paulo infra subiungit Augustinus ibi: *Non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur, & hoc est opus eius, quo continet omnia:* & paulo post ibi: *Si hoc opus suis rebus subtraxerit, nec viuemus, nec mouebimur, nec erimus:* tum sic: conseruatio, iuxta Augustinum, est continuatio operis diuini: at iuxta ipsum opus diuinum est operatio diuina: ergo conseruatio est continuatio quædam primæ operationis diuinæ, seu, quod perinde est, est ipsa operatio diuina continuata. Augustino consonat D. Thomas 1. p. quæst. 104. art. 1. ad 4. ibi: *Conseruatio rerum à Deo non est per aliquam nouam actionem (puta adæquatè distinctam) sed per continuationem actionis qua dat esse: sicut conseruatio luminis in aëre est per continuationem influxum à sole.* Diuo Thomæ Scotus: vtrique, nec pauci, nec ignobiles Theologi adherent; vt cernere est apud Lessium lib. 10. de perfectione diuin.

Secundò eadem sententia reiicitur: quia actio primò productiua rei non est essentialiter adstricta ad primum instans, in quo rem à non esse ad esse transfert: aliàs rei duratio futura esset, contra quam supra tract. 1. cap. 3. fusè philosophati sumus: igitur potest ea actio transacto primo instanti perseverare, & alteri denuo aduenienti eo existere: igitur potest illa actio conseruatiua esse, cum actio rem producat in primo instanti, si in sequentibus perseveret, in illoque (quæ est eius essentia) rem producat, rei conseruatio non esse nequeat.

Tertiò eadem sententia reiicitur: quia si conseruatio rei ab eius prima productione realiter adæquatè distingueretur: similiter conseruatio rei pro secundo instanti distingueretur realiter adæquatè ab eius conseruatione pro tertio instanti; & conseruatio eius pro tertio instanti à conseruatione eius in quarto: & sic de reliquis. Quare non solum pro instanti sequenti primam productionem rei, verum etiam pro singulis instantibus actio variaretur, quod & ab his Authoribus non admittitur, & à nobis supra fusè impugnatum est. Quartò tandem: quia, sicut generatio Verbi diuini est eadem pro quouis momento totius æternitatis; ita vt Filius per eandem indiuisibilem productionem sit in continuo quasi fluxu à Patre, iuxta illud Psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* non video, cur etiam quæuis creatura per eandem indiuisibilem actionem non sit in continuo fluxu à Deo: per eandem, inquam, non adæquatè, sed inadæquatè, vt inferius explicabo: aliàs creatura primò producta nunquam perire posset, eiusque productio more processionum diuinarum nunquam interrumpi posset.

Ad

4. Ad primum argumentum aduersariorum respondeo; primam productionem rei subito non perire secundum se totam, sed secundum aliquam sui partem, vt infra explicabo: atque adeo non secundum se totam, sed secundum aliquam sui partem ab actione conseruatiua non, pereunte realiter distingui. Ad secundum respondeo: quemadmodum, si lux à sole primò producta in sensu diuiso huius productionis, non à sole, sed ab igne v. g. aut alio agente primò produceretur; vna & altera prima productio proculdubio distinguerentur, quin ob id inferre fas sit, cum lux est eadem, & agens etiam est idem, primam tamen eius productionem diuersam esse: ita similiter conseruatio rei, & prima eius productio poterunt distingui, cum à diuersis agentibus profiscuntur; quin ob id deducere liceat, eas distingui realiter adæquatè, quoties in eundem terminum ab iisdem agentibus profiscuntur. Mitto reliqua aduersariorum argumenta, quia facile solui possunt.

5. Secunda sententia est Capreoli, vbi supra, Hieronimi tract. de aternit. mundi quæst. 1. Ferraræ 3. contra Gent. c. 65. plurimumque Thomistarum, actionem primò productiuam, & actionem creatiuam sola ratione distingui: quibus P. Suarez disp. 21. Metaphysicæ sect. 1. num. 3. perspicue adhæret. Fundamentum huius sententiæ primum esse potest authoritas Augustini supra allata. Secundum est: quia quoties agens est idem, & terminus est idem, passumque, si interueniat, est idem; non est cur actio eadem non sit: quæ enim talibus circumstantiis diuersæ actionis utilitas, aut necessitas esse potest: At, cum res conseruatur, lux v. g. agens est idem, quod in momento primæ productionis, nimirum sol; & terminus etiam est idem, vt pote lux: passum etiam, videlicet aer idem est: cur ergo eadem actio non sit?

6. Verum hæc sententia, priori ex diametro opposita, sustinenda non est: quia prima productio rei à parte rei reperiri potest absque rei conseruatione: ergo prima productio à conseruatione realiter separabilis, ac proinde realiter distincta est. Antecedens probatur ex Augustino lib. de immortal. anim. cap. 6. vbi de Deo sermonem instituens sic habet: *Hæc vis, & natura incorporea effectrix corporis vniuersi presenti potentia tenet vniuersum; non enim fecit, atque discessit, effectumque deseruit: & infra: illa effectoria vis vacare non potest, quin id, quod ab ea factum est, rucatur, & specie carere non sinat, quæ est in quantumcumque est; quod enim per se non est, si deseratur ab eo, per quod est, profecto non erit.* Quibus verbis insinuat Augustinus, Deum, postquam rem fecit, ac primo produxit, posse eam deserere, & non tueri, atque ab eius conseruatione discedere, & supercedere: ac proinde primam productionem ni ab eius conseruatione separabilem esse. Quod autem ait August. ibi: *vacare non potest*, solam impotentiam consequentem cessandi à conseruatione indicat. Deinde: quoties effectus formalis vnius formæ sine effectui alterius realiter reperiri potest; vna, & altera forma sola ratione distingui non possunt, sed opus est, vt quodammodo realiter distinguantur: quæ ratione, quia lignum potest esse siccum, quin sit calidum; formæ vtriusque denominationis, siue effectus formalis, nempe calor, & siccitas realiter, & non sola ratione distinguuntur. At res potest denominari primò producta, quin denominetur conseruata, vt experientia te-

stat: ergo forma vnius denominationis, siue effectus formalis, & forma alterius non sola ratione distinguuntur: cum ergo forma vnius denominationis sit prima productio, & forma alterius sit conseruatio; sanè prima productio, & conseruatio non solum ratione, verum etiam realiter distinguuntur.

7. Ad primum fundamentum huius sententiæ ab authoritate desumptum respondeo, Augustinum loco à nobis supra adducto, non tam identitatem rationis actionis primo productiue, & conseruatiue; identitatem, inquam, rationis omnem distinctionem realem excludentem, quàm identitatem realem inadæquatam, solius distinctionis realis adæquatæ exclusiuam statuere; vt supra exposuimus. Ad secundum fundamentum respondeo, terminum actionis conseruatiue non esse adæquatè distinctum à termino actionis creatiue, vt aduersarij rectè probant; ceterum esse ab eo inadæquatè distinctum: cum conseruari lucem sit, eam produci, simulque produci durationem, quæ in instanti sequenti existat; lux autem, & duratio lucis ab eadem luce, vel se sola, vel simul cum prima eius duratione realiter inadæquatè distinguatur. Quid ergo mirum, si conseruatio lucis à prima eius productione realiter inadæquatè distinguatur? vt nunc nunc explico.

8. Nostri ergo sententia inter duas priores media est, & primam productionem à conseruatione, nec sola ratione, nec realiter adæquatè distinguit, sed solum realiter inadæquatè. Pro cuius luce, & intelligentia præmitto primò, durationem rei, quæ temporali labenti coexistit, ab existentia rei realiter, siue ex natura rei distingui: id quod libro sequenti latè confirmandum est. Secundò, productionem rei esse realiter distinctam à productione durationis successiue rei: id quod ex illo priori legitime inferitur, atque deducitur. Tertiò, productionem rei esse productionem rei secundum se, & simul productionem durationis rei, quæ alia anterior non sit; conseruationem vero rei esse productionem rei, & simul productionem durationum subsequens primam rei durationem. Vnde conseruatio rei, & eius prima productio in aliquo conueniunt, & sunt idem realiter; videlicet in productione rei secundum se; & in aliquo distinguuntur realiter; nempe in productione durationis successiue; cum vna productionem primæ durationis, alia vero productionem subsequens durationis inuoluat: quæ productiones non minus inter se distinguuntur, quàm ipsæ durationes successiue, ad quas terminantur.

9. Quod autem prima productio, & conseruatio ita explicandæ sint, sicuti à nobis explicatæ sunt; suaderi potest: tum, quia tempus est mensura conseruationis, & quo maius est tempus, cui res coaccidit, eò res magis conseruabitur: ergo conseruatio suapte natura tempus respicit, & connotat: ergo quia est productio durationum quibus res à prima productione temporis successiue fluenti collabitur. Tum etiam: quia id sentire videtur Chrysostomus Homil. 2. in epist. ad Hebr. ibi: *Non minus est continere mundum, quam fecisse: sed si oporteat, aliquid admirandi dicere, adhuc amplius est: nam in faciendo rerum quidem essentia productæ sunt: in continendo vero ea, quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant, continentur.* Tum sic: amplius est, res conseruare, quàm eas primò producere: ac non alia ratione, nisi quia rem primò producere est

est producere existentiam rei, & ad summum primam durationem rei: rem vero conseruare est rem etiam producere, sicuti antea, & durationes omnes subsequentes producere. Amplius autem est, rem, & plures eius durationes producere, quam rem, & vnam eius durationem producere: equidem, si conseruare, & primo producere solum ratione distinguuntur; sanè quantum vnum tantundem & aliud re ipsa erit, vnumque alio re ipsa maius esse non poterit: sicut quia in Deo aternitas, & immensitas sola ratione distinguuntur, vna alteri æqualis, non vero melior re ipsa esse potest.

C A P V T II.

An possit aliqua res seipsam per verum, & directum influxum conseruare?

10. **E**xploratum quidem est, pleraque se conseruare de facto, aut sine vlllo influxu ab ipsis præstito; eo quod influxum, quo à Deo conseruentur suapte natura exigant: aut certè per solum influxum indirectum, quo res non in esse aliud permanens, in quo conseruantur formaliter, sed in aliud esse distinctum, naturaliter tamen connexum cum permanentia rei in se influant. Priori modo: Angelus, & animus rationalis se conseruant, quia vterque postulat concursum, quo Deus eos in æternum in suo esse teneat. Posteriori vero modo creaturæ corruptibiles se conseruant: aqua verbi gratia se conseruat intendendo per veram actionem frigus suum, quo circumstanti calori resistit, aut colligendo se in globulos, ne diffluat, & pereat: & ob similem finem animantia omnia calorem suum hyeme augent, atque intendunt. Anima etiam corruptibilis conseruat per verum influxum calorem, qui ad eius vitam, & esse necessarius est, & quo pereunte ipsa in auram euanesceat. Omne etiam viuens per actionem nutritiuam alimentum coquit, attrahit, & secum vnit, atque adeò se ipsum per influxum verum, ceterum indirectum conseruat. Quare tota controuersia est, an res aliqua per verum influxum, eumque directum seipsam conseruet; an vere, & directè attingat sua efficacia id ipsum esse, quod Deus eam conseruans influxus sui irradiatione attingit.

11. **A**ssero primò: diuinitus fieri nequit, vt aliqua res seipsam totalitate effectus per verum, directumque influxum conseruet. Probatur: quia vt ex dictis cap. præcedenti constat, terminus totalis actionis conseruatiuæ est tam esse indiuisibile ipsius rei, quam esse diuisibile durationum eius successiuarum. Quamobrem conseruare rem totaliter totalitate effectus est producere esse indiuisibile ipsius rei, & etiam esse diuisibile durationis, quibus tempori labenti coëxistit: at nulla res diuinitus suum ipsum esse producere potest, quantumuis durationes suas producere possit: quia alias idem indiuisibile esse secundum idem se ipso natura prius esset; cuius contrarium à nobis supra lib. 4. fusè demonstratum est: igitur nulla res se ipsam totaliter totalitate effectus per verum, directumque

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

influxum conseruare poterit. Huc attinet quod D. Thomas 1. part. quæst. 104. art. 2. ad 2. ibi: *Sicut nulli effectui præstari potest, vt sit causa sui ipsius, potest tamen ei præstari, vt sit causa alterius: ita & nulli effectui præstari potest vt sit sui ipsius conseruatiuus, potest tamen præstari, vt sit conseruatiuus alterius.*

Assero secundò: naturaliter etiam fieri potest: vt aliqua res se ipsam per verum, directumque influxum conseruet partialiter partialitate effectus. Probatur: quia cum conseruare rem sit eius esse primarium, & indiuisibile, & esse etiam secundarium, & diuisibile durationum eius producere; terminusque partialis, & inadæquatus conseruationis sit esse durationum successiuarum: sanè conseruare rem partialiter partialitate effectus erit producere durationes successiuas rei: at res naturaliter producere potest durationes suas successiuas: ergo & se ipsam per verum, ac directum influxum conseruare partialiter partialitate effectus. Maior perspicua est vis, quæ capite præcedenti allata sunt: minor probatur: quia durationis successiuæ rei sunt eius proprietates, à quibus saltem naturaliter absolui nequit: quæuis autem essentia suas proprietates naturaliter cauere potest: ergo & quæuis res durationes suas successiuas. Secundò eadem minor probatur: quia ex eo colligitur, ignem producere calorem in ligno, & quamuis aliam causam influere in suos effectus, eosque à solo Deo non produci; quia experimento cernimus ad præsentiam ignis semper produci calorem, & ad præsentiam cuiusuis alterius causæ secundæ suos effectus produci: at etiam experimento cernimus, supposita prima productione rei non solum ad eius præsentiam, verum etiam intimè in ipsa re plures durationes eius successiuas sequi, ita vt naturaliter aliud euenire nequeat: ergo ipsa res durationes illas producit.

Assero tertio: quæuis res absolute, & simpliciter se ipsam conseruat per verum, directumque influxum. Probatur, quia vt aliqua res aliam producat absolute, & simpliciter, satis est, vt eam partialiter partialitate effectus producat, vtve aliquam eius partem, aut quasi partem, quamuis reliquarum minimam, & imperfectissimam producat. Quæ ratione sol, & homo generant hominem, eumque producant, esto solam eius vnionem producant, eius materia, & forma omnino improductis: ergo etiam vt aliqua res seipsam, aut aliam absolute, & simpliciter conseruet, satis est, vt eam partialitate effectus conseruet: at quæuis res se ipsam conseruat partialiter partialitate effectus per verum, & directum influxum: ergo se ipsam absolute, & simpliciter conseruabit.

Contra primam assertionem nihil opponi potest, quod supra lib. 4. solutum non sit: contra secundam, & tertiam assertionem ex ea legitime deductam opponi potest: si res posset naturaliter durationes suas successiuas producere, posset etiam iis pro aliquo spatio temporis omnino spoliata eas iterum recuperare; & postquam toto hodie verbi gratia non extitit, cras tamen re existere. Consequens est aperte falsum, vt experientia testatur: ergo, &c. Sequela probatur: quia ideo aqua calorem amissum recuperare potest, quia inest ei virtus naturalis producendi calorem: ergo si rei virtus productiua durationum suarum inest, eas semel amissas iterum recuperare naturaliter poterit.

poterit. Verùm inprimis retorqueo argumētum in aduersarios: quia iuxta ipsos, durationes successiuæ non interruptæ rei debentur: at semel interruptæ ei non debentur: ergo similiter durationes non interruptæ à re duranti produci naturaliter poterunt, quin ob id si interruptantur, & semel amittantur, ab ea naturaliter produci possint, aut debeant. Deinde homo & causa potentia visuæ in se, sicuti quæuis essentia proprietates suas causat: at homo semel amissa potentia visuæ eam naturaliter recuperare non potest: ergo similiter quamuis res durationum suarum causa sit, non ob id eas semel interruptas iterum continuare poterit. Quod autem aqua calorem amissum recuperare possit, non ideo est, quia eum utcumque producere potest, sed ob specialem actiuitatem aquæ, quæ nobis experientia innotescit. Quod si quis tamen durationes successiuas à re durante non naturaliter, sed solum diuinitus produci posse contendat, ob id nimium cum eo disceptare nolim. Tandem contra hanc assertionem opponi potest, & solet; conseruationem rei ad solum esse primum, & indiuisibile rei terminari, & à prima productione non distingui. Verùm huic obiectioni cap. antelapso fusè factum est satis.

CAPVT III.

An aliqua res à causa secunda à se distincta per verum, & directum influxum conseruari possulet?

[15.]

Assero primò: nullus effectus, siue substantialis, siue accidentalis sit, à causa vniuoca creata in conseruari pendet: ita P. Suarez disput. 21. Metaphys. sect. 3. n. 4. Probatur primò: quia duæ res eiusdem speciei, qualescunque sint, inuicem ita comparata esse non possunt, vt quæuis earum postulet essentialiter ab altera conseruari: aliàs alterutra ab altera simul, & semel conseruaretur: & sic daretur mutua prioritas à nobis supra impugnata: nec etiam vna sola earum ab alia conseruari essentialiter postulare, aut exigere potest; cum enim sint eiusdem speciei ambæ, cur vna earum potius, quàm alia eam exigentiam habeat? Cum ergo ambæ simul eam exigentiam habere nequeant, & altera earum præ alia eam habere nequeat; sanè neutra eam exigentiam habere poterit. Pendere autem in conseruari ab aliquo est exigere conseruari ab illo: & sic nulla res ab alia eiusdem speciei, siue vniuoca in conseruari pendere poterit. Dñde id ipsum à posteriori suaderi potest: quia homo ab homine productus sine eo conseruatur: & ignis sine igne eum primo producente; ac calor sine calore à quo primo profectus est, conseruantur: numquam ergo effectus à causa vniuoca in conseruari dependet.

16.]

Assero secundò: quoties effectus est substantialis, numquam à causa æquiuoca creata in conseruari dependet: ita etiam P. Suarez vbi supra, & Capreolus in 2. distinct. 1. quæst. 2. art. 2. ad 4. Probatur: quia aut sermo est de iis substantiis, quæ à solo Deo producuntur: quales sunt Angeli, animi rationales, cæli, elemen-

De act. conseru. corp. natur.

ta, & hæ substantiæ, sicut à causa secunda æquiuoca in fieri, siue primo esse non dependent, ita non est, cur ab iis in conseruari dependent. Aut sermo est de iis substantiis, quæ non à solo Deo, sed etiam ab aliqua causa secunda producuntur, & hæ etiam à causa secunda in conseruari non dependent. Quamuis enim mulus ab equo, velut à causa æquiuoca generetur, ac primò producatur, ab eo tamen in conseruari non dependet, cum sine eo experientia teste conseruetur: & quamuis aurum in visceribus terræ à sole generetur, ac primò producatur, non propterea à sole in conseruari dependet, cum absente sole conseruetur: cur ergo idem de quouis effectui substantiali comparatione cuiusvis cause æquiuocæ dici non debeat? Ratio à priori huius assertionis à D. Thoma, & Soario ea traditur: quia nunquam vna substantia pendere potest ab alia immediatè, sed tantum medio accidenti, quod saltem inadæquatè in substantiam influat: cum ergo substantia accidenti imperfectior sit, non poterit in conseruari ab influxu accidentis dependere, quantumcunque semel dependenter ab accidenti primò existat. Verùm in primis substantia ab influxu accidentis etiam partiali pendere non potest, vt supra lib. 4. ostendi: quare falsum principium ab his Authoribus assumitur. Deinde eo gratis admissio, non conspicio, cur sicut substantia, non obstante imperfectione accidentis, ab eo in fieri dependet, & etiam ea non obstante ab accidentis influxu etiam in conseruari dependere non possit? Quare genuina assertionis ratio est, natura substantiarum nobis sensu, & experimento cognita.

Assero tertio: effectus accidentalis interdum à causa æquiuoca in conseruari dependet, interdum vero ab ea in conseruari non dependet: ita P. Suarez supra: prioris generis sunt; lux, quæ à sole non minus in fieri, quàm in conseruari dependet; & species intentionales sensuum externorum, quæ etiam ab obiectis, à quibus emittuntur, in conseruari dependent, & absentibus earum obiectis pereunt, & euanescent; & etiam actus vitales, qui proculdubio non solum in fieri, verum etiam in conseruari à potentiis vitalibus dependent. Posterioris generis sunt, calor, qui à luce in fieri, non tamen in conseruari dependet, & ab igne etiam saltem mediâtè in fieri, nullo modo tamen in conseruari dependet; impetus, qui ab impellente in fieri, non tamen in conseruari dependet, & absque contactu impellentis aliquantisper perseuerat; habitus, qui ab actu in fieri, non tamen in conseruari dependet; ac demum figura, siue forma artificiosa ab artifice eam imprimente nequam dependens. Plura exempla cuius procliuia erunt.

Ratio autem disparitatis inter utrosque effectus, præter vtriusque naturam nobis sensu, & experimento compertam, ea mihi se se offert: quia accidentia prioris generis contrario carent: vnde, si in conseruari à suis causis non penderent, nunquam naturaliter interire possent. Cur enim lux v. g. vbi sine sole existere possit, semper naturaliter existere, & conseruari nequeat, cum numquam vilius agentis contrarietate impetatur: eadem est ratio de speciebus intentionalibus

17.]

18.]

tentionalibus sensuum extremorum, si quæ dantur: eadem etiam de pluribus actibus vitalibus qui omni contrario destituti sunt. Neque enim visio verbi gratia contrarium vllum positum sortitur, nec auditio, neque apprehensio simplex, nec vllus actus vitalis præter iudicium, aut amorem efficacem. Cur autem iudicium, & amor efficax, & cum illis reliqui actus vitales in conseruari à potentiis vitalibus dependant, in aperto est: siquidem sunt actus vitales non solum in fieri, sed etiam in conseruari: neque enim in fieri sunt vitales, & in conseruari sint transeuntes, haud aliter, ac aliquid in fieri homo, & in conseruari equus esse non potest. Cum igitur eiusmodi actus etiam in conseruari sunt vitales; omnis autem vita ab intrinseco esse debeat: sanè ij actus in conseruari ab intrinseco, siue à suis potentiis vitalibus esse debent. Hæc autem ratio in accidentibus prioris generis non militat: neque enim sunt vitales (vt ab hoc vltimo incipiam:) neque etiam contrario carent; siquidem calor contrario gaudet: eademque est ratio de reliquis primis qualitibus; habitus etiam habitui contrariatur: figura quoque oppositam figuram habet, vt constat ex diuisione figuræ in planam, rectam, & curuam, circularem, & non circularem; aliasque, quas mathesis indagat: impetus etiam contrarium habet, quidquid dubitet P. Suarez supra sect. 3. à num. 33. vnus enim impetus alij impetui opponitur, alioque sursum, alio deorsum, alio dextrorsum, alio sinistrorsum agimur.

19. Video D. Thomam aliam rationem discriminis tradere inter lucem, & calorem; & ideo hunc retineri ab aqua cessante actione ignis, illam vero ab aëre neutiquam retineri cessante actione solis: Quia, inquit, materia aque est susceptiua caloris ignis secundum eandem rationem, quæ est in igne; aër vero non est susceptiua luminis secundum eandem rationem, quæ est in sole. Verum hæc ratio nulla ratione sustineri potest, primò: quia lucem aëris lucemque solis diuersæ speciei esse, abique vilo fundamento supponitur; & oppositum longè verisimilius est. Deinde, esto lux aëris à luce solis diuersæ rationis sit; cur vna absque altera conseruari nequeat? sicut impetus ab impellentis contractu diuersæ rationis est, & tamen sine illo conseruari potest, esto ab illo in fieri dependeat. Rursus, lux aëris alteris saltem est eiusdem rationis cum luce ignis, & tamen lux ab actione ignis in fieri dependens sine ea conseruari nequit: ergo similiter quamuis calor aëris sit eiusdem rationis, &c.

20. Cæterum, præfata ratio aliter intelligi potest vt calorem recipi in aëre secundum eandem rationem, quæ est in igne, sit; non tam vtrumque calorem esse eiusdem speciei, quam calor rem aëris disponere ad formam substantialem ignis: ideoque formam, siue rationem, quæ cum forma sæpè coincidit; formam, inquam, rationemque ignis esse eandem in igne, & in aëre; in illo formaliter, & in actu secundo; in hoc vero radicaliter, & in actu primo ratione suæ dispositionis, quæ ei viam sternat. Vnde mirum non esse, si calor, qui in igne conseruatur, in aëre etiam conseruetur: quod autem in vno semper, in alio aliquantulum tantum conseruetur, ideo est: quia in vno est forma, siue ratio

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

ignis formaliter; in alio vero radicaliter. Cæterum lux non est in hoc sensu in aëre secundum eandem rationem, quæ est in sole; cum non disponat aërem ad recipiendam formam solis. Hanc autem fuisse mentem D. Thomæ docet Suarez vbi supra, & constat ex verbis eiusdem ibi: aër natus non est recipere lumen secundum eandem rationem, secundum quam est in sole: & exponit, vt scilicet recipiat formam solis, quæ est principium luminis: statimque concludit: & ideo quia non habet radicem in aëre, statim cessat lumen cessante actione solis.

Verum nec sic intellecta ratio satisfacit: tum, quia non video quid referat, calorem disponere ad formam substantialem ignis, vt sine concursu ignis conseruari possit: potius etiam, quia disponit ad formam ignis postulare deberet præsentiam ignis, à quo forma ad quam disponit, produci posset: tum etiam, quia impetus & habitus ad nullam formam substantialem disponunt, & tamen conseruantur sine concursu eius, à quo primò producuntur. Cur ergo lux, quamuis ad formam solis non disponat, conseruari tamen nequeat sine concursu solis, à quo primò producitur?

CAPVT IV.

An quavis res à causa prima per immediatum, directumque influxum conseruari possulet?

21. Quamuis creaturam maximam, & minimam à Deo conseruari constat ex illo Actor. 17. ibi: In ipso viuimus, mouemur, & sumus: & Sapient. 7. ibi: Omnibus mobilibus mobilior est sapientia, attingit autem vbique: & cap. 8. ibi: attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter: & Ioan. 5. Pater meus usque modo operatur: & Pauli ad Coloss. 1. ibi: Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant: & Sapient. 11. quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conseruaretur? Quod autem his, & similibus verbis Deus per verum, & immediatum influxum creaturarum omnium causa conseruatiua asseratur, perspicuum est: siquidem Deus asseritur vera, & propria causa conseruatiua creaturarum, cum verba sacræ paginæ in proprio, & vero, non verò in translatio sensu accipienda sint, quoties ratio aliqua oppositum manifestè non suadet: at sola causa immediate conseruatiua vera, & propria causa conseruatiua est, sicut sola causa immediate primò productiua propria causa productiua est, vt supra lib. 3. tr. 1. ostendimus.

22. Deinde Deum per immediatum, verumque influxum esse causam conseruatiuam omnis creaturæ perspicuè docent Patres: Augustinus lib. 4. de Genesi ad liter. c. 12. Chrysost. hom. 2. in epist. ad Hæbr. Ambrosius lib. 7. in Lucam c. 13. Dionys. de diuinis nominib. cap. 19. Origene lib. 2. Periarcon Damascen. lib. 1. cap. 3. de fide orthodoxa. Prosper sent. 177. ex Augustino vbi supra relato Greg. lib. 2. moral. c. 12. Bern. ferm. 6. in dedicat. Ecclesiæ. Hugo de S. Victore, necnon complu-

res alij, quos mira eruditione referunt Lessius de diuinis perfectionib. lib. 10. cap. 4. & Didacus Ruiz disp. 1. de prouid. sect. 2. Et quidem Patres docuisse Deum conservare creaturas suas per immediatum influxum negari nequit: siquidem passim docent, ita Dei esse conservare creaturas, sicut eius est eas primo creare: ut missis alijs colligere est ex Anselm. explicante locum illum Pauli ad Coloss. 1. supra laudatum ibi: *Omnia in ipso constant; quia sicut omnia creauit, sic omnia continet, & regit*: at Deus per verum, propriumque influxum creaturas omnes primò producit: ergo & conservat.

24. Rursus: conservatiua actio in se essentialiter inuoluit actionem primò productiuam, uti supra cap. 1. manet ostensum: actio autem primò productiuā creaturarum est à Deo: ergo & actio conservatiua earum ab eodem erit: ac proinde Deus immediatè creaturas conservabit. Dices: actio primò productiuā habitus est ab actu: sed conservatio habitus non est ab actu: similiter ergo licet actio primò productiuā creaturæ non sit à Deo, ab eo tamen conservatio creaturæ non esse non poterit. Contra tamen est: quia prima productio habitus eius conservationem non constituit, eo quod prima illa productio cum actu pereat, & simul cum habitu conservato non perseveret: quare eius conservationem constituere non potest, sicut oporteret ad hoc, ut conservatio illa ab actu proficisceretur. Cæterum, prima productio cuiusvis creaturæ simul cum creatura perseverat: neque enim Deus à quo exit, nec creatura in quam fertur, pereunt: quare prima illa productio conservationem creaturæ constituit, atque aded conservatio creaturæ in Deum necessario est referenda.

25. Præterea: tam pendent creaturæ à Deo, quam lux à luminoso, species ab obiecto, & actus vitalis à potentia cui immanet: nec oppositum, nisi cum dedecore diuinæ omnipotentiae potest admitti: præfate autem qualitates à causis creatis, sicut in fieri, sic etiam in conservari dependent; idque per influxum verum, & immediatum: ergo, &c. Vltèrius: ad perfectionem diuinæ voluntatis attinet, ut quod semel decernit, id semper decernat, & nunquam ab eo decernendo cesset; & ad perfectionem similiter diuini intellectus spectat, ut quod semel scit, nunquam non sciat: ergo ad perfectionem diuinæ omnipotentiae spectabit, ut quod primò produxit, postea semper producat, siue conseruet, idque immediatè haud aliter ac immediatè cuncta scit, atque decernit: conseruet, inquam, si res aliunde conservanda sit, nec vlla specialis sit in eius conservatione repugnantiā.

26. Demum: nulla creatura conservari potest absque immediato concursu alicuius causæ à se distinctæ: at eo ipso, quod concursus immediatus alicuius causæ postulet, concursus causæ primæ non postulare non poterit: ergo, &c. Maior probatur: tum quia maius, aut certè non minus est, rem conservari, quam primò produci, ut supra ex Chrysostomo, & Ambrosio ostensum est, & de se apertissimum sit: at ad primam productionem cuiusvis creaturæ concursus immediatus alicuius causæ requiritur: aliàs creatura non esset, sed potius quid increatum: ergo & ad eius conservationem. Tum etiam: quia si creatura ex suppo-

sitione, quod primò sit, postea à nulla causa conservatur: ergo ex suppositione, quod ab alio primò sit, postea à se erit: ergo ex suppositione, quod primò sit, postea non esse non poterit: sicut si absolute à se esset, absolute non esse non posset, ut in Deo cernere est. Tum demum: quia si creatura aliqua sine concursu vllius causæ conservari posset, sane sine eo primò esse posset: at hoc posterius supra conditionem creaturæ est: ergo & illud prius. Minor vero principalis syllogismi suadet, primò: quia plures creaturæ sunt, quæ à nulla secunda causa pendere possunt, ut Angeli, cæli, animi rationales: ergo si hæc ad sui conservationem influxum alicuius causæ postularent, causæ primæ influxum postulabunt. Secundò: quia eo ipso, quod aliquid in fieri à concursu causæ alicuius secundæ pendeat, à concursu etiam causæ primæ in fieri necessario pendet, ut supra lib. 4. demonstratum manet: similiter ergo hoc ipso, quod aliquid in conservari à concursu alicuius causæ secundæ pendeat, eumque postulet, sane & concursus causæ primæ ad sui conservationem non postulare non poterit.

Obiicies primò: non est de conceptu creaturæ pendere ab influxu immediato alicuius causæ à se distinctæ in conservari: ergo absque immediato influxu causæ etiam primæ conservari poterit. Consequentia perspicua est: antecedens probatur: quia ut creatura quæ est talis, sit ens ab alio, & non à se; satis est, ut in fieri ab alio pendeat: ergo necesse non est, ut in conservari ab alio pendeat. Obiicies secundò: quia cōcursus immediatus causæ etiam primæ ad conservationem rerum superfluous videtur: ergo non est, cur res absque eo concursu conservari nequeat. Antecedens probatur: quia ex suppositione, quod res creata semel esse accipiant, illud seipsis retinere poterunt: id enim ad soliditatem, & firmitatem iis congenitam attinere videtur: & quidem ipsæ res semel productæ seipsas esse suo spoliare non possunt, neque seipsis per se in nihilum redigi possunt; natura enim malum intendere, suamve destructionem moliri nequit: ergo seorsim ab actione alicuius contrarij res creata à se ipsis conservari poterunt. Obiicies tertio: ad perfectionem artificis creati attinet, ut ea moliri, & fabricare possit, quæ semel ab eo facta, postea absque eius actione subsistant: ergo id ipsum ad perfectionem summi artificis, spectare etiam videtur. Obiicies quarto: verba illa Genesis 2. cap. ibi: *Et requieuit Deus ab universo opere, quod paraverat*: ubi requies ab operibus primò productis denotat, Deum ab iis conservandis supersedere, ac proinde ea se ipsis conservari.

Ad primum respondeo, negato antecedenti: ad eius probationem; quod in fieri ab alterius influxu dependet, id ipsum conservari ab alterius etiam influxu dependens esse debet, & alterum ad alterum necessario consequitur, & numero pene superiori ostendimus: cum ergo de ratione creaturæ sit dependentia ab alio in fieri, sane dependentia ab alio in conservari ab ea aliena esse nequit. Ad secundum respondeo: soliditas illa, & firmitas rerum creatarum in suo esse, quanta quanta sit, finita est, atque aded mantenentia, & conservatione primi artificis eget: quod si primus artifex ab iis conservandis, & manutenendis supersederet, certè in nihilum evanescerent; non quia ipsæ se destruerent, sed

sed quia concursus primæ causæ, cui intrinsecæ sunt, & à quo dependent, subtractus est; haud secus, ac absque actione vilius contrarij lux in absentia solis cum tenebris illico commutatur. Ad tertium respondeo; potius ad perfectionem supremi artificis attingere, ut opus ab ipso factum sine eo subsistere nequeat, & sine eius concursu statim difluat, & dissoluatur; id enim operis ab opifice, maioremque eius potentiam arguit: in creatis autem posse aliquid facere, quod sine concursu causæ facientis contineri, & permanere possit; hæc, inquam, independentia operis perfectionem formaliter, & immediate, ac proinde opificis, à quo opus progreditur, perfectionem mediate extollit, & commendat: ceterum imperfectionem opificis immediate, & formaliter arguit: unde ea independentia est perfectio coniuncta cum imperfectione, non vero simpliciter simplex: quid mirum ergo, si in Deum nequeat quadrare? Ad quartum respondeo, verba illa Genes. 2. cap. intelligenda esse de requie ab operibus de nouo condendis, non vero ab iis, quæ semel condita sunt, conseruandis. Et quidem ea sic explicat Ambrosius lib. 7. in Lucam cap. 13. ibi: *Denique, ut Deus ab operibus mundi quiescat, non ab operibus cuius sempiterna, & iugis operatio est, sicut Filius ait: Pater usque modo operatur, & ego operor, &c.* Sic etiam ea explicat Augustinus de Genes. ad liter. cap. 12.

CAPVT V.

An res minori influxu egeant, ut conseruentur, quam ut primò producantur?

29.

HActenus vidimus, nihil conseruari posse absque influxu immediato, & directo alicuius causæ, à quâ pendeat. Illud modo accurate examinandum est, an saltem minori influxu ad sui conseruationem, quam ad sui primam productionem res reliquæ egeant. Nonnulli, quos Lessius lib. 10. de diuin. perfect. cap. 4. & Arriaga disp. 10. Physicor. sect. 1. referunt & refellunt, partem tuentur affirmantem. Pro quâ distinguunt tria genera entium: alia aded imperfecta, ut à causis creatis in fieri, & conseruari dependeant, qualia sunt, lumen, species intentionalis, & actus intellectus, &c. alia vero, quæ à causis creatis in fieri, non tamen in conseruari dependent, ut color, calor, forma substantialis, eius vnio, &c. & alia demum, quæ à causis creatis nec in esse, nec in conseruari pendunt, qualia sunt Angelus, animus rationalis, creatura cœlestis, & elementaris: hæc duo genera entis, inquit, ratione suæ perfectionis minori influxu ad sui conseruationem, quam ad primam sui productionem postulant, eo quod Deus quæ simul cum creaturis produxit, solo concursu generali, sine vilo causarum creaturarum concursu, conseruet; quæ vero se solo produxit, minori quidem concursu conseruet.

30.

Verum, hæc sententia nullatenus sustineri potest, primò: quia, ut supra ex Chrysostom. & Ambrosio ostendimus, & ex ipsa actionis conseruationis definitione perspicuum est, non minus est rem conseruare, quam eam primò facere: ergo minor influxus ad vnum, quam ad aliud sufficere

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

non potest. Secundo: quia concursus generalis se solo ad effectus alicuius conseruationem insufficientis est: ergo ex hoc capite minor influxus ad eam, quam ad primam productionem satis esse non poterit. Antecedens probatur: tum quia aliàs concursus vniuersalis ad primam rei productionem sufficere posset se solo: nec qui hoc assereret ab aduersariis vllatenus reuinci posset: tum quia concursus vniuersalis est concursus partialis simul cum particulari in vnum totalem coalescens; siue, quod perinde est, pars concursus, eiusque dimidijs: at pars concursus ad conseruationem effectus se solo sufficere non potest, sicut pars intrinseca alicuius totius ad totius conseruationem insufficientis est. Tum demum: quia concursus vniuersalis est concursus indeterminatus, qui ut ad aliquem effectum præ alio determinetur: concursui particulari sociandus est: at solus concursus indeterminatus ad conseruationem effectus insufficientis est: sicut eleuatio folium de se indeterminata ad hunc, aut illum sonum se sola sufficere nequit ad conseruationem alicuius soni determinati præ alio. Tertiò: quia nullus effectus creatus est, qui à Deo non pendeat tantum saltem, quantum lux à luminoso, aut species intentionalis ab obiecto dependet: at lux æquè potenti influxu à sole fit, & conseruatur; & species intentionalis similiter: ergo & quiuis effectus creatus æquè forti, ac potenti influxu à Deo fit, & conseruatur; atque adeo non minori, sicut hi Authores comminiscuntur. Et quidem, sicut Deus in conseruatione nonnullorum effectuum concursum suum minuit, eadem ratione dici posset, solem in conseruatione lucis actionem suam attenuare, & obiectum in conseruatione imaginum, quas in potentiam diffundit.

Quartò: quia quod aiunt, res ipsas secundi, & tertij generis semetipsas conseruare, adeoque minori influxu causæ à se distinctæ indigere: hoc, inquam, ipsis nullatenus proficit; aut enim se conseruant per concursum verum, propriumque: aut sine vilo concursu, & ratione solius firmitatis, & soliditatis sibi congenitæ: quæ ratione, inquit, rupes se conseruat loco, eoque se depelli non sustinet. Secundum quidem falsum est: quia conseruari aliquid à se sine vilo concursu sui in semetipsum est proprium solius Dei, qui à se sine vilo concursu sui in semetipsum conseruatur, & permanet in esse: altiorisque rationis est huiusmodi conseruatio, quam ut vlli creaturæ conuenire possit. Exemplum autem rupis non vrget: quia rupes loco se conseruat per veram actionem, qua impetum se mouentis, aut mouere eonantis frangit. Primum vero, quamuis aliqua ex parte verum esse possit, ut supra ostendimus, tamen iis prodesse non potest: quia si res per verum influxum se conseruat, cum tamen per verum influxum se primò producere nequeat: ergo iam ad conseruationem rei minor influxus, quam ad eius primam productionem requiri non potest, sed potius æqualis: ita tamen, ut influxus, quo res primò producit, sit à causa rei ab ea distincta: is vero influxus, quo res conseruatur, partim sit à causa rei, partim à re ipsa: quod non tantum est concursus rei conseruandæ necessarium minuere, quam eum paulo aliter distribuere.

X 3 Quintò:

32.

Quintò : quia si ad conseruationem effectus minor influxus, quàm ad eius primam productionem sufficit, ob perfectionem effectus; non esset, cur effectus aliquis aded perfectus esse non posset, venullo influxu ad sui conseruationem indigeret. Consequens est absurdum, & ab aduersariis non admittitur: ergo, &c. Maior probatur à paritate rationis: quia eo ipso, quòd effectus aliquis ob suam perfectionem, siue influxum suæ causæ aliquandiu conseruari posset, vt cernere est in calore; non est, cur crescente perfectione alicuius, non possit semper conseruari sine influxu causæ, à quo primo producit: quâ ratione artificiosa æri impressa, sine actuali influxu artificis semper perseuerat, quin vlla vetustate aboleri possit, nisi contrarium aliquod positium interueniat: ergo similiter in præsentia, &c. Sextò, & vltimò: quia cum dicitur ab aduersariis, rem aliquam se ipsam conseruare, & sic minuere, ac tenuare concursum causæ in eam influentis; ea conseruatio, aut terminatur ad esse primum ipsius rei, aut ad esse secundarium durationum, per quas tempori labenti collabitur; si primum; ergo res secundum esse primum à se omnino indistinctum, à semetipso conseruatur, siue à se ipso est: cum ergo esse ab aliquo in creatis non nisi per veram causalitatem vsu veniat, soliusque Dei sit esse à se, quin causa sui sit: sanè res illa, sicut à se pro momentis suæ conseruationis est, ita à seipsa causatur, sui que ipsius vera causa est, quod apertè falsum est: eo que admisso, non video, cur negari posset, rem se ipsam primo producere posse: si secundum, ergo non requiritur minor influxus ad conseruationem rei, quàm ad primam eius productionem: & enim sicut res producit durationem, quâ conseruatur: ita similiter producit durationem, quâ pro instanti primæ suæ productionis gaudet: igitur non est, cur vna productio, potius quàm altera concursum causarum in rem conseruatam minuat, aut extenuet.

33.

Obiiciunt primò aduersarij, quod aliqua res magis, alia vero minus conseruentur, non potest non refundi in vim intrinsicam se conseruandi rerum ipsarum in aliquibus maiorem, in aliis minorem: ergo res ea virtute pollet, ac proinde ratione illius minori influxu causæ primæ, aut etiam secundæ ad sui conseruationem egent. Antecedens probatur: tum quia aliàs tota rerum duratio in solam Dei voluntatem reuocanda esset: tum etiam, quia aliàs dici posset, productionem vnus ignis verbi gratia ab alio in passo sibi applicato, non in actiuitatem ignis, sed in solam energiam causæ primæ refundi posse: sicut quod rei alicuius productionem talis, tantaque conseruatio infallibiliter sequatur, in influxum solius causæ primæ, non vero in vim sui conseruationis rei congenitam reuocatur: vnde tota causarum secundarum vis, & energia de medio tollitur. Tum demum: quia ad appetitum sequitur facultas, & potentia ad id, quod appetitur; quâ ratione, quia grauiora, & leuiora centrum naturaliter appetunt, facultas se mouendi in centrum, grauitas nimirum, & leuitas à natura ingenerata est: ac omnis res conseruationem sui innatè appetit: nulla ergo non habet potentiam, & facultatem ad sui conseruationem. Obiiciunt secundò aduersarij: si Deus solo concursu vniuersali, & indeterminato effectus creatos conserua-

re non posset, & ad influxu determinato, & particulari indigeret, sanè habitus vitiosos ea ratione conseruaret. Consequens est absurdum: quia sicut eos primò producere per se nequit, ita & per se illos conseruare non sustinet.

Verum, hæc momenti non sunt. Primum enim si quid probat, certè non aliud, quàm res creatas conseruare semetipsas inadæquate: quod nostræ sententiæ non aduersatur, nec contrariæ quicquam conducit. Secundum autem facile solui potest concessa sequela: consequens vero non magis absurdum est, quàm quod Deus ad ipsum actum peccati immediatè concurrat: sicut enim hoc ad munus Authoris naturæ pertinet; ita similiter & conseruare effectus physicos, quamuis noxios, ab iis relictos: nisi fortè quis velit, ipsam voluntatem humanam instar causæ particularis, & determinatè eos conseruare. Diei, effectus physicos, quia effectus morales actuum prauorum, nimirum peccata habitualia Deus nullatenus conseruare potest. An autem Deus habitus illos vitiosos per se primo infundere possit, aded constans non est: & pars affirmatiua saltem non est improbabilis

34.



TRACTATVS V.

De actione destructiua corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

An destructione formæ substantialis constituentis corpus naturale, aut cuiusvis alterius prior esse debeat generatio formæ oppositæ?



ENSEO vniuersim loquendo, generationem vnus formæ, eiusque introductionem non esse priorem, aut posteriorem tempore destructione, aut expulsiōe alterius, sed vtramque esse simul tempore: quia si generatio, & introductio vnus formæ esset prior tempore destructione, & exclusiōe alterius, sanè esset subiectum in aliquo instanti cum vtraque forma; amore verbi gratia & odio; assensu, & dissensu; peccato, & gratia forma humana, & cadauerica: quod cum earum formarum impossibilitate non cohereret: si vero è contrario destructio, ac exclusio vnus formæ esset prior tempore introductione alterius, certè in aliquo instanti esset subiectum sine vtraque forma, materia prima v. g. sine forma humana, aut cadauerica, aliæ quacunque, & aqua sine frigore, aut calore: quod quantum repugnet, quis non videat?

Huic doctrinæ dissentit Lorca in 1. 2. c. 2. d. 4. de gratia ibique docet, in moralibus duas formas impossibiles, peccatum scilicet, & gratiam in primo instanti reali iustificationis simul esse, & introductionem gratiæ priorem tempore esse, quàm expulsiōem peccati: quia introductio gratiæ est prior naturæ exclusiōe peccati, eaque nullo modo posterior, eiusve effectus est: igitur introductio